

1732. MENSE FEBRUARIO. VARASDINI.

Articulus Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae, A. 1732. 17. et sequentibus mensis Februarii diebus, Varasдини celebratae Congregationis.

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae, A. 1732. 17. et sequentibus mensis Februarii diebus, Varasдини, post Installationem novi Bani Comitis Joannis Draskovich, celebratae Congregationis.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Decimus Quintus.

Ad 113. 1715, et ad 88. 1723 Annorum Diaetarumque Posoniensium publicos Diaetales Articulos reccurrendo, cum aliunde certa Commissio Caesareo-Regia ad Generalatum huncce Varasdinensem, et nefors Carlostadiensem quoque, non multo post tempore, et possibile, quod adhuc hoc imminente vere, descensura pro certo inaudiatur; Per humillimum itaque ad Thronum Suae Majestatis Sacratissimae recursum, ad tot tantaque, in praementionatis Articulis uberius denotata, utrobique in praemissis Generalatibus Regno huic et Regnicolis gravissima injuriosissimaque, et nec hodiedum etiam remediata praejudicia, avulsorumque eatenus reincorporationem, Deo denique hominibusque gratam et desideratam adjustandorum tandem aliquando complendam adiustationem, eandem suam Sacratissimam Majestatem clementissime reflectendam, instandumque eatenus, statuunt: Ut nimirum, tanquam pientissimus Justissimusque eorundem Dominus et Rex, eas talesque clementissimas instituere dignaretur dispositiones, dareque ordines et mandata, ut videlicet hac eadem, praementionatae propediem descensurae Commissionis occasione et contextu, iidem quoque supra alligati publici Diaetales Articuli, qua appertissimae eodem in merito conditae sancitaeque Leges, cum adaequata Justitiae satisfactione, tandem aliquando suum, tot suspiriis desideratum, consequantur effectum; et ut penes modernam quoque suam Excellentiam Banalem, quoad Dominos ex parte Regni articulariter ordinatos eatenus Commissarios, loco demortuorum, aut aliter qualitercunque legitime impeditorum, vel absentium, in locum talium alios sufficientes, e gremio Dominorum Statuum pro eadem functione elligendi et constituendi manere supplicetur Authoritas. Domini Status et Ordines praetensiones eatenus habentes; ut medio tempore Jura sua eo in passu disquirere, et appromptare, paratique talismodi Commissionem praestolari noverint, nec intermittant, hoc publico facto monentur.

Originale in Archivio Regni Croatiae.